



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata**

**Wissingh, Anton**

**Coloniae Agrippinae, 1699**

Jesu, Maria, Francisce, Antoni

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](#)

Sit Vobis cor unum & anima una  
cum JESU & mecum.



*Hoc idem iunxit Amor*  
Adm̄ R̄d̄ et eximio Patri  
P Anthonio Wisspingh ordi min: Conū:  
Provinciali F.C.F.S.

J. v. Sando

Ecce, quam bonum, & quam jucundum,  
habitare Fratres in unum! Ps 132.

# JESU, MARIA, FRANCISCE, ANTONI,

**V**Obis hic Liber V. supplex ad volvitur, de-  
votus dedicatur, & per brevi oratione, quod  
sibi deest, precatur. Quia nim. hucus-  
que in prioribus Libris multæ *Præmissæ* præmissæ  
sunt, at sine *junctura*, sine unione; hinc ergo Li-  
ber hic *juncturam*, & unionem conclusionis cum  
præmissis, subditorum ad invicem, & cum Supe-  
rioribus in eodem sensu, eademque sententia, à  
vobis exposcit, *quos idem junxit amor*; hac om-  
nia ibi dicta referebantur, ut hic uniantur, esse  
etumque sortiantur. Hinc & omnium Patrum &  
Fratrum totius Provinciæ nostræ corda manibus  
Fidei vestræ, *S.P. Francisci*, & *S. Antoni Patavini*  
supplex configno, ut illa vos offeratis Sanctissimis  
manibus JESU, & MARIÆ, in eorum SS. Cor-  
dibus eliquanda; ut ita pristinam amittentia for-  
mam, ex nunc sapiant *idem*, *quod & in Christo*  
*JESU.*

*Medium autem hoc faciendi , & vobiscum in unam juncturam conveniendi , & ut unumquodque os jungatur ad juncturam suam , hic in mundo cum non inveniamus , hinc ad supernas officinas recurrimus. Ideoque vos alloquor cum Regio*

E. Pro-

Propheta i. Paral. 12.17. *Pacificè venistis ad me, ut cor meum jungatur vobis.* Ut autem jungatur, priùs in uestrorum Cordium sacra officina excoquatur. Quod dum vehementer desidero, dum humiliter peto; mihi, meisque Fratribus in veritate spero eventurum, quod de Vulcano commentus est olim Plato. Ille dum obvius fieret duabus amicissimè conjunctis, & conjunctissimè amicis, inter plura alia singularis benevolentiaz signa, jussit eos rogare aliquid obsequii aut muneric, præsertim quod ex officina sua eis offerre posset. Illucum præsentem occasionem prehendere vellet, supplices rogarunt, ut (cùm Faber Deorum esset, cui non difficile est artis suæ potentia, instrumentorumque usu accommodò quidvis efficere) colliquaret eos, unumque ex duobus redderet; atque ita consequerentur amoris sui *Finem*, qui est animæ corporisque *unitas*. Quod ille dum fecisset, qui priùs duo ingressi fuerant, jam unus grediuntur.

*Finis* etiam literarii hujus qualiscumque laboris mei non est communitas, seu, ut quidam ex vocis sono conjicere male posset, dispersa pluralitas, sed in *communitate S. Unitas*, ut nim. simus omnes non *alter-ego*, sed *unus-ego*. Ad hunc *S. Finem* assequendum, cum SS. Patribus nostris ad vos O JESU, & MARIA configimus. O B.V.M. sub tui S. Cordis officina, sub quo Filium Dei conce pisti, & portasti, *ima summis* (ut canit Ecclesia) *& terrena divinis junguntur*, & ut uniantur, non colliquantur, sed consecrantur humana per divina, *ima per summa*, terrestria per cælestia. Et in di vina

vina officina Cordis tui, O JESU Fabricator cordium, Deus cordis mei, semper de votissimæ Sponsæ tuæ, Sororesque individuæ *Gertrudis*, & *Mechtildis*, itidem dilectissima tua *Catharina Senensis*, sua corda à S. Corde tuo, utpote ignea virtute prædicto liquefieri, absorberi, tuoque per amorem uniri, & ex tunc aliâ quasi formâ ac naturâ superindui.

Eja, vestris binis cordibus tamquam ustrinis, aut potius Fornacibus conflatoriis, JESU, & MARIA, non ridiculò commentô, sed felicis eventû Sacramento, omnia, per quæ hucusque Libericus cucurrit grammata, omniaque omnium corda, meum quoque, ac tuum suum, frigida illa verba imminimus eliquanda, colliquanda; ut inde exeat non aureus ridiculus vitulus (ut olim infelicibus Idololatris Exod. 32.) Sed concors omnium animus, quos idem junxit amor, id est, amor JESU, & MARIAE, juxta illud S. August. in Regula: *Omnes ergo unanimiter, & concorditer vivite.* Ut ita sint in nobis penna unius ad alterum, id est, idem intendamus, id ipsum sentiamus, & non sint in nobis schismata: & manus sub pennis eorum, id est, ut mutuò auxiliò invicem juvemus, succurramus, supportemus, proinvicem laboremus. Quod ut fiat, vos JESU, MARIA, FRANCISCE, & ANTONI alloquimini corda nostra, & cum effectu dicite:

**Unanimis animæ, concordia vivite corda:**

**Unum quæis velle, & nolle dat unus amor.**